
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung des Spruchs Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Dilger Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D.O.M.A.

Gymnasii Logici

DIATRIBE XII.

DE

SYLLOGISMO MODALI

Disputationis loco
Ad sententiarum collationem
proposita
in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & Professore
Ordinario

Respondentis vices tenente

MATTHÆO REUTZIO

Stetinense Pomerano.

Ad diem 31. Martij. S. N.
In Auditorio Philosophico
Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,
ANNO cIɔ. Iɔc. XXXIV.

VIRIS

ADMODUM REVERENDIS
Clarissimis & Doctiss.

Dn. JOHANNI CORVINO
SS. Theolog. D. & Ecclesiæ Parochialis Marianæ, apud Dantisc. Pastori primario,
Amico ac Mœcenati suo æviternum colendo.

Dn. M. JOHANNI-JACOBO CRAMERO
Ecclesiæ Dantisc. ad D. Johan. Pastori Vigilantissimo. Amico, Populari, ac Fautori suo ætatem amando.

Dn. M. FRIDERICO SCHÖNINGIO,
Parochialis Marianæ Diacono dignissimo. Affini ac Promotori suo venerando.

Ευχαριστίας ἕνεκα.

Γύμνασμα *hoc Logicum*
Offert & Consecrat

Matthæus Reutzius.
Resp.

I.

ANnibal, vaferrimus militiæ Imperator, cum navali prælio cum Eumene Rege congredi deberet, & navium copiâ se superari sentiret, angues collectos ollis indere jussit: quib⁹ sub prælio navibus hosticis ex mandato Imperatoris injectis, hostis & anguibus simul & milite est implicatus. Quo astu Eumenes superatus, terga dare coactus est. Vt memorat Cl. Hoffman. l. 6. V. L. c. 6. Logicus, duro adversario concertaturus, modalem propositionem interdum, velut implicaturam formam collectioni syllogisticæ involuit: inde & Syllogismo & modo simul implicatus Antagonista, difficilem argumenti solutionem desperans, insolutum Syllogismum relinquere cogitur. Id ne nobis contingat, fas est, difficilem illam Syllogismi modalis formam accuratius ad sacoma judicij Logici appendere, & quæ ei resolvendæ inserviant, perspicuè, quantum fieri potest, ordinateq; indicare.

2. Tractatio Syllogismi modalis vel præcognitiva esse potest, vel cognitiva. Illa duplex. 1. An peculiariter in Logicis de Syllogismo modali præcipiendum? 2. Quinam de eo singulariter scripserint?

3. Quà primum, Negant Ramei in Logicis peculiariter de eo agendum. Cum facilè ex generali Syllogismo pateat. Ram. l. 7. Sch. Log. c. 8. Beurh. p. 2. p. 878. Hinc communiter hanc doctrinam omittunt. Eosq; sequuntur Dusa, Keckerm: noster, Libavius, Timplerus, Crellius, (qui facilè excusatur, quod Tyronibus scripserit. V. Arnis. in Crel. l. 3. p. com. c. 10. l. f.) Hunnæ⁹, Titelmannus alijq;. Dn. Finc. d. Syll. c. 7. t. 3. plerosq; & nobilißimos Peripateticorum

 eum

eum omittere ait, & magis in usu esse Græcis, quàm Latinis. Sed & his hodie frequentissimo est in usu: Nec à plerisq; omittitur. Contrà: Datur in parte secundâ propositio modalis distinctè à purâ explicandâ. V. d. 8 t. 18. E. *in parte tertiâ Syllogismus Modalis. Nam propositiones ad Syllogismos debent ordinari posse, nisi vanè proponantur. 2. Consequentia in Syllogismo Modali aliter procedit quàm in puro. Vt rectè Philosophus* in 1. prior. c. 8. *Rectè concludes: Omnis homo edit. Quidam dives est homo. E. quidam dives edit. At in modalibus cautè procedes. Contingit omnem hominem edere. Necesse est omnem divitem esse hominem. Hic dubium, an necessariò an contingenter concludas. Nî ex modalibus formam concludendi scias. E. hæc doctrina peculiariter in Logicis est tradenda. Sic: Impossibile est lapidem esse animal. Impossibile est leonem esse lapidem. E. impossibile est leonem esse animal. Hic nunquam evades, nî ex modalibus formam solvendi scias. Et sic falsum, totam hanc rem ex generali Syllogismo solvi posse.* Conf. Dn. Flac. l. 5. Log. gen. c. 17. *3. Quod mirificè disputantem involvere potest, pro eo planè solvendo Logicus media distinctè suppeditare debet: Secus non omnes argumentandi formas expediet, & sic mancus erit. At Syllogismus modalis est tale quid. Vt progressus ostendet. E. Argumentum Rami exiguum est. Quod Syllogismus modalis terminum aliquem, modum, ter repetat in Syllogismo, & sic falsus sit. Nam modus non est termin⁹, sed determinatio saltem propositionum. (Nisi admodum latè sumas terminum pro quocunq; in propositione occurrente. Quomodo & copula terminus est.* Ita Heymb. de Sy. mod. f. 1. §. 1. *Quæ acceptio est generalissima) Et sic legitimè repeti potest etiam in Conclusione.* V. Cl. Arnis. c. l. Dn. Cor. Mart. l. 3. p. com. c. 11. *Imo si quandoq; sit pars medij Termini, tum non repetendus est in Conclusione.* V. Cl. Kesler. d. cons. c. 31. §. 4. *At in Syllogismo modali*

dali

dali rectè constituto nullum tale vitium ostendetur, & sic legitimâ suâ consequentiâ procedet, Cujus modos Logicus distinctè exhibere debet.

4. Quà secundum: *Syllogismum modalem peculiariter tractârunt, summus ille in Philosophiâ Dictator,* Aristoteles l. 1. prior. à c. 8. usq; ad 22. Ex eo Monlorius l. 1. prior. c. 21. & Cl. I. M. l. 4. inst. à c. 8. usq; ad 22. Conimbric. in 1. prior. c. 8. q. 10. seq. Dn. Scheibl. d. Syll. c. 13. n. 98. 99. seq. Dn. Kesler. d. conseq. c. 31. Dn. Höpfner in 1. prior. c. 8. & 23. Dn. Flac. l. 5. Log. gen. à c. 17. usq; ad finem. Dn. Cor. Mart. l. 3. com. p. com. c. 11. 12. 13. Gutk Syn. Log. p. 416. 417. *Scharf: l. 3. Log. c. 10. paucis Fonsec: l. 6. Log. c. 29. Barthol. l. 3. par. com. c. 7. Morisan. in l. 1. prior. c. 9. Faber in l. 1. prior. c. 9. 10. 11. & peculiaribus tractatiunculis materiam hanc diduxerunt* Dn. Nihusius tr. de modalibus & disp. Log. 7. Heymbürgerus dis. de Syl: mod: *Hic illud etiam advertendum, si in doctrinâ modalium apud summum Philosophum aliquid inveniatur inaccurati, ut putat* Mendoz: d. 4 sum: §. 27. Dn. Cor: Mar: c. l. c. 13. *& post patebit, non ob id celsum omninò Philosophum cum Ramo exagitandum, sed cogitandum, ipsum primum fuisse, qui distinctè & accuratè Syllogismi doctrinam pertractaverit, cum nemo antè eum id fecerit. Vt benè* Zabarel. l. d. 4. fig: c. 5.

5. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est nominalis & realis.* Nominalis *1. De voce Syllogismi, de quâ* vid: d. 10. t. 7. *2. voce modi, quæ ex propositione modali explicanda.* Vid. d. 8. t. 16. *Hic modalis Syllogismus dicitur à propositionibus modalibus vel unâ, vel omnibus.* Realis *triplex:* definitiva, divisiva & affectiva.

6. *Definitio hæc sit:* Syllogismus modalis est Syllogismus perfectus, habens propositiones modales.

 Dicitur

Dicitur 1. Syllogismus perfectus, *quia formâ apertâ in aliquâ figurâ & modo Conclusa constat. Habetq́ definitionem & principia generalia Syllogismi*, d. 10. t. 10. 23. *requisita. In imperfectis argumentationibus, ut Syllogismis compositis, Enthymemate, Inductione, non facilè admittimus propositiones modales, quia istæ argumentationes alioquin sunt imperfectæ, nec rigida Syllogismi requisita admittunt. Atq́ adeò levibus argumentationibus adhuc modos velle addere, quibus implicatiores reddantur, non videtur operæ pretium accurato Logico. Eoq́ Syllogismos modales omnes Aristoteles sub perfectâ formâ recensuit.* 1. prior. c. 9. & seq: 2. Habens propositiones modales. *Vulgò modales dicuntur vel compositæ vel divisæ. Compositæ parùm curantur à Logico, sunt enim reverâ puræ.* V. d. 8. t. 16. *Faciunt tamen quidam Syllogismi, modales ab authoribus dicti, ut ob resolutionem eorum interdum qualiscunq́ illarum sit habenda ratio. Vt in progressu ostendetur.* V. t. 8. *Ergò hic propositio modalis notat &* divisam (*Quidam exclusam vocant.* Mend: d. 4. sum: §. 51.) *primario, Nam hæc potissimum hic advertitur, & in Syllogismo modali requiritur, ut post docebitur: Et* compositam *secundariò, Nam hæc in aliquo Syllogismo cautè est observanda, qui quomodocunq́ dicitur Modalis.* 3. Partes Syllogismi *modales proximæ sunt propositiones modales: remotæ Termini, dictum & modus, qui dicitur terminus generalissimo significatu.* V. t. 3.

7. *Fuit* definitio. *Sequitur* divisio. *Syllogismus modalis I. est* vel *compositus, ubi modus est prædicatum, hic secundariò attenditur à Logico:* vel *divisus, ubi modus est determinatio prædicati & subjecti, hic primariò. II.* Vel *purus* vel *mistus.* Purus, *qui constat ex meris modalibus. Et his vel unius generis vel diversorum.* Mistus, *qui ex modalibus & puris. III.* Vel *primarius, qui constat ex primariis modalib⁹,*

ut nec: cont: poſs: impoſs: Vel *ſecundarius, & analogicus, qui ex ſecundarijs Quales ſunt exponibiles.* V. d. 8. t. 19. *De omnibus diſtinctè.*

8. *Vt ordinatè & perſpicuè tota res proponatur, advertantur ſequentia monita generalia.* I. De Modalib. compoſitis. 1. Syllogismus ex modalibus compoſitis ex generalibus regulis Syllogiſticis eſt dijudicandus, nec multum curatur à Logico. *Modus in hoc Syllogiſmo eſt pro prædicato, non determinatione formæ propoſitionis. Vt: Hominem eſſe animal eſt neceſſe. Hominem eſſe equum eſt hominem eſſe animal. E. Hominem eſſe equum eſt neceſſe. Canem eſſe corpus eſt neceſſe. Canem eſſe lapidem eſt Canem eſſe corpus. E. In his & ſimilibus reſolvendis non procedendum ad formam diviſorum, ut modus in adverbium mutetur, & medius ponatur. Nam hoc hic non procedet: Vt: Homo neceſſariò eſt animal. Quod eſt equus, eſt homo. E. Hic nulla conſequentia. Nam minor falſiſſima: Sed modus pro prædicato relinquendus. Et attendendum ad ſignificationem Terminorum, an illa in utraq; præmiſſâ ſervetur eadem. Hoc hic non eſt. Nam majoris ſubjectum, hominem eſſe animal, ſumitur* indeterminatè, *non determinando ad hoc vel illud: At in prædicato minoris ſumitur determinatè, pro animali irrationali. Nam indeterminatè ſumptum falſum eſt. Et ſic ſunt 4. Termini. Et aliàs minoris poteſt eſſe* duplex *ſenſus. 1. Hominem eſſe equum eſt aliquid, quo dato ſequitur hominem eſſe animal. Sic longè prædicatum abit à ſubjecto majoris. 2. Hominem eſſe equum, eſt idem, quod hominem eſſe animal. Sic conſentit cum ſubjecto majoris. Sed minor eſt falſa.* Conf. Dn. Nihus: d. mod: p. 2. c. 1.

9. *Simile de variatione Terminorum eſt in reliquis. Vt: Omne animal eſſe beſtiam eſt contingens. Omnis leo eſt animal. E. omnem leonem eſſe animal eſt contingens. Omnem homi-*

hominem esse doctum est contingens. Omnis stultus est homo. E. Omnem stultum esse doctum est contingẽs. Et quæ similia ex omni materiâ esse possunt. Nullum animal esse equum est impossibile. Omnem bipes est animal. E. nullum bipes esse equum est impossibile. Hic in Minore mala est subsumptio Termini medij. Nam ita *subsumendum. Omnis leo est id, omne animal esse bestiam. Nam hoc totum subjectum Majoris erat. Sic: Omnis stultus est id, omnem hominem esse doctum. Omne bipes est id, nullum animal esse equum. Jam hæ minores sunt falsissimæ. Sic: Contingit nullum animal esse hominem. Omne rationale est animal. E. contingit nullum rationale esse hominem. Non resolves ita: Nullum animal contingenter est homo. Nam hoc falsum. Cum aliquod animal, quod sc. indifferens adhuc & indeterminatum est, contingenter se habeat ad hominem, vel non hominem. Nam generi ut sic contingens est, esse ad hanc vel illam speciem determinatum. Vt rectè Philosophi.* V. Scharf. l. 1. Log. tr. 2. c. 2. §. 5. Dn. Armis. in Crel. p. com. l. 3. c. 10. l. f. *Nam inferiora prædicantur de superioribus paronymως.* Id. t. 3. c. 2. §. 6. *Et hoc modo illæ propositiones omninò concedi possunt & in negatis, ut hic: & affirmatis, Vt: Quædam substantia (scil. indeterminatè adhuc sumpta) contingenter est leo. Nec video, cur hoc simpliciter neget* Dn. Nihus. d. mod. p. 1. c. 1. *Sed minorem in dictum modum ad legitimum sensum reduces.*

10. *De* modalibus compositis *in 2. & 3. fig. res est plana.* Secundâ: *Vt, Quod est necessarium, non est contingens. Hominem currere est contingens. E. Hominem currere non est necessarium. Leonem esse canem est impossibile. Quoddam verum non est impossibile. E. Quoddam verum non est illud, Leonem esse Canem.* Tertiâ: *Hominem esse animal est necesse. Hominem esse animal est verum. E. quoddam verum est necesse.* Conf. Nihus. c. l. p. 2. c. 2. 3.

11. *II.* Cautè sensus modalium in Syll: modali advertendus, ne divisus sumatur pro composito, aut contrà; *Et modus ponendus pro prædicato.* Sensus modalium advertendus; *Fieri enim potest, ut modalis composita sit vera, divisè formata fiat falsa. Vt: Omnem hominis partem esse corpoream est impossibile. Pes est pars hominis. E. pedem esse corporeum est impossibile. Omnem substantiam esse corpoream est impossibile.* Leo est substãtia. E. Omne animal esse irrationale est impossibile. *Canis est animal. E. O. numũ esse imparem, non est necessariũ. Ternarius est numerus. E. ternarium esse imparem non est necessarium. Hic major modalis composita & vera. Falsa fiet divisa. Omnis pars hominis impossibiliter est corporea. Omnis substantia impossibiliter est corporea. O. animal impossibiliter est irrationale. Hæ propositiones sunt falsæ. Nisi sensu collectivo sumantur. Qui hic non intenditur. Nam minor, non eo respectu subsumitur. Resolvendo hos Syllogismos minorem rediges in formam* th. 8. 9. *præscriptam, hoc modo: Pes est illud, omnem hominis partem esse corpoream. Leo est illud, omnem substantiam esse corpoream. Canis est illud, omne animal esse irrationale. Sic minores erunt falsæ. Et erit Syll: vitiosus ex 4. terminis, imò ut placet Dn.* Nihusio c. 7. c. l. *ex quinq;.* Conf. eundem p. 1. c. 1. 2. Modus pro prædicato ponendus, si sit composita modalis. *Vt: Contingit hominem esse coloratũ. Contingit album esse hominem. E. contingit album esse coloratum. Resolvatur sic: Hom. esse coloratum est contingens. Quoddam album esse hominem est contingens. E. quod. album esse coloratum est contingens. Hic & purus affirmatus in 2. figura, & medium est in Conclusione.* Nih. c. l. *Dubium tamẽ esse potest, an hæ & similes non potius sint divisæ. Nam exempla Cl. Nihusij commodè poterunt divisim proponi, ut post dicetur. V. t. 21. Interim parum est utrovis modo resolvas. Idem habe de istis exemplis: Impossibile est leonem esse Canem.*

Impossibile est latrans esse leonem. E. impos. est latrans esse Canem. si propositiones sunt compositæ. Vt intendit idem c. l.

12. *Hactenus* de Syll. modalibus compositis. *Sequitur* de divisis. *Hos primò Logicus curat, & eorum resolutionem solicitiùs meditatur. Hi sunt vel meri, vel misti.* V. t. 7. *De utrisq; generalia monita sequentia habeantur.*

13. *I.* Modales divisæ formaliter resolvantur, id est, modum adverbialiter habeant medium, determinationem copulæ propositionis, siue id per Latinitatem liceat, sive non. *Hoc hic parum curatur, Vbi sensus rerum, non pondus verborum attenditur. Vt: Necesse est hominem esse animal. Necesse est Petrum esse hominem. E. necesse est Petrum esse animal. Resolvas formaliter sic: Homo necessariò est animal. Petrus necessariò est homo. E. Petrus necessariò est animal. Ratio est, Nam ita resolutus modalis statim identitatem Terminorum aut diversitatem ostendet, quod statim observasse ad legitimam Syll. resolutionem multum facit. Sic in proposito, medium non ita subsumitur in minore, ut erat præmissum in Majore. Nam in minore est modificatum: At in majore erat absolutum. Hinc sunt 4. Termini, ut ut materia aliàs procedat.*

14. *II.* Ex terminis mediis puris & modalibus, aut his inter se confusis formaliter nihil sequitur. *Fiunt enim 4. Termini in argumento, Quia non supponunturTermini identicè. Hæc variatio facillimè patet ex modalibus formaliter secundum* th. 13. *resolutis. Sic in puris & modalibus: O. currens est animal. Contingit quendam tabellariũ esse currentem. E. Contingit quendam tabellarium esse animal. Resolvendo sic dices: O. currens est animal. Q. tabellarius contingenter est currens. E. quidam tabellarius contingenter est animal. Hic variatur medium in Minore, cum absolutè præmittatur in majore. Aliud est, esse currens absolutè,*

ali-

aliud contingenter esse currens. Idem procedit in aliјs. Vt: Omne peccatum in sp. S. damnat. Adulterium impossibiliter est peccatum in sp. S. E. adulterium impossibiliter damnat. O. prædestinatio est actio divina. Creatio impossibiliter est prædestinatio (sc. formaliter) E. Creatio impossibilter est actio divina. In modalibus inter se. Vt in 2. fig. Contingit omne animal esse currens. Impossibile est sedens esse currens. E. Impossibile est sedens esse animal. Resolvatur ita: O. animal contingenter est currens. O. sedens impossibiliter est currens. E. omne sedens impossibiliter est animal. Hic alius modus additur medio in minore, quam erat in Majore.

15. III. Ex termino medio in utraq; præmissâ modificato, ad eundem in Conclusione repetendum N. V. C. Ingrederetur enim medius Terminus Conclusionem. Vt, O quod necessariò est animal, sentit. Homo necessariò est animal. E. homo necessariò sentit. Hic modus pertinebat ad medium Terminum, & consequenter non est repetendus in Conclusione. Sic in 2. fig. O. homo necessariò est animal. Lapis non necessariò est animal. E. lapis non necessariò est homo. V. Cl. Kesl. d. cons. c. 31. §. 4.

16. IV. Ex puris impossibilibus, aut minore 1. figuræ impossibili, formaliter nihil sequitur. Werenb. ex Log. 9. th. 37. Nam impossibilia æquipollent negativis. Vt: Impossibile est hominem esse lapidem. Imposs. est adamantem esse hominem. E. Imposs. est adamantem esse lapidem. Resolves ita: Homo impossibiliter est lapis. Adamas impossibiliter est homo. E. Adamas impossibiliter est lapis. Hic & pura impossibilia, & medium in minore formatur modaliter, cum in Majore sit purè. Ita in reliquis: Impossibile est peccatum E. in sp. S esse remissibile. Imposs. est peccatum veniale esse peccatum in sp. S. E. imposs. est peccatum veniale esse remissibile. Sic in 1. figurâ minore impossibili:

Vt, O. homo est animal. Leo impossibiliter est homo. E. Leo im poss. est animal. Hic minor virtualiter negans ob modum impossibilis, ex quo formaliter nihil sequitur. Dico, formaliter. *Nam materialiter quiduis sequitur ex quovis. Aristot. de modo impossibili & possibili nihil specialiter praecepit, quia eorum ratio ex necessario & contingenti facile colligitur.* V. Cl. l. M. l. 4. jnst. Log: c. 22. Dn. Kesl. c. l. c. 31. n. 6. Heymb: d. mod. s. 3. c. 1. §. 4.

17. *V.* Ex modalibus Contrariis confusis formaliter nihil sequitur. *Modi Contrarij sunt necesse & cōtinges, possibile & impossibile. Vt: Necesse est hominē esse animal. Contingit quoddā sentiens esse hominē. E. contingit quoddam sentiens esse animal. Necesse est peccatum in sp. S. esse verum peccatum. Contingit quandam incredulitatem finalem esse peccatum in sp. S. E. contingit quandam incredulitatem finalem esse verum peccatum. Sic: O. homo possibiliter est adultus. Infans impossibiliter est adultus. E. infans impossibiliter est homo. Possibile est omnem hominem esse doctum. Impossibile est infantem esse doctum. E. impossibile est infantem esse hominem.* Alij *ex illis aliquid sequi putant. Indeq; regulas quasdam ex Aristotele pro consequentiis istis formandis deducunt. Quae videri possunt apud* Arist. 1. prior. c. 15. 18. Dn. Kesl. c. l. n. 11. Dn. Schei. c. l. n. 110. Conimbr. in 1. prior. c. 13. Dn. Flac. c. l. c. 19. 20. Heymburg. d. modal. s. 3. c. 2. §. 5. Dn. Cor. Mart: c. l. c. 12. *Vt, 1.* In 1. fig. major cōtingens, minor necessaria, dant Conclusionem Cōtingentem. *Vt: Omne animal contingenter est dormiens. O. homo necessariò est animal. E. O. homo contingenter est dormiens.* Contrà: *O. ambulans contingenter est currens. O. tardè incedens necessariò est ambulans. E. O. tardè incedens contingenter est currens. Quod impossibile.* Dices: *praemissas non esse compossibiles. Nam cur-*

currens & tardè incedens non consistunt. R. *At per modos istos jungi possunt, quibus attribuuntur. Et tamen servatâ eadem formâ ex veris præmissis falsa infertur Conclusio. Quod indicio est, formaliter id non procedere.*

18. 2. Major necessaria, Minor contingens dant Conclus. Contingentem. *Vt, Necesse est omnem hominem esse animal. Contingit quandam substantiam esse hominem. E. Contingit quandam substantiam esse animal.* Contrà: *Necesse est omne animal esse corpus. Contingit quoddam materiatum esse animal. E. Conting. quoddam materiatum esse corpus. At hoc necessarium est, non contingens.* 3. Major negans contingens, Minor necessaria, dant Conclusionem contingentem. *Vt, Contingit nullum animal dormire. Necesse est omnem hominem esse animal. E. contingit nullum hominem dormire.* Contrà: *Contingit nullum animal ambulare. Necesse est omne currens esse animal. E. contingit nullum currens ambulare. Quod impossibile est.* 4. Major negans necessaria, minor contingens, dant Conclusionem & puram & contingentem. *Vt: Necesse est nullum leonem esse hominem. Contingit quoddam corpus esse leonem. E. contingit quoddam corpus non esse hominem.* Dn. Flac. c. I. c. 18. *vult, conclusionem semper assimilari Majori in qualitate & modo, & ex parte* Arist. 1. prior. c. 9. *Hoc qui semper procedat, difficulter patet, Vt exēpla allata ostendunt.* V. Dn. Arnis. c. I. p. 396. Conf. t. 25. *Rectius fortasse diceretur,* Ex modis contrarijs in 1. fig. formaliter sequi Conclusionem puram, non modalem. *Sed & hoc valde dubium est, ut quædam exempla ostendunt. V. paulò antè.*

19. 5. In 2. figurâ in tribus primis modis præmissa negans necessaria, & affirmans contingens Conclusionem & puram & contingentem dant. Contrà: *Necesse est nullum hominem esse equum. Contingit omne cur-*

 rens

rens esse equum. E. nullum currens est homo. Cl. Hornei. di. Log. 7. t. 118. 119. *ex tali formâ nihil concludi ait. Nam in 1. figuram reducendo Major erit necessaria, Minor contingens. Vnde Conclusio nec necessaria nec contingens, nec pura fit. Vt: necesse est nullum equum esse leonem. Contingit omne currens esse equum. E. contingit nullum currens esse leonem. Conclusio hic nec pura nec necessaria est. Contingens sequi videtur: sed reverâ non sequitur, si benè resolvas: Habebit enim hunc sensum: E. nullum currens contingenter est leo. Quod falsum est.* Conf. Heymburg. d. mod. f. 3. §. 5. & Vid. t. 18. *Quod si præmissa negans sit contingens, & affirmans necessaria, nil sequitur: Vt nec in 4. modo sec. figuræ.* Conf. Conimbr: c. l. Dn. Schei. c. l.

20. 6. In 3. fig. in modis figuræ affirmantibus 1. una necessaria affirmans, altera contingens, contingẽtem dant Conclusionem. *Vt, Contingit omnem hominem esse album. Necesse est omnem hominem esse animal. E. contingit quoddam animal esse album.* Contrà. *Necesse est omnem hominem esse coloratum. Contingit omnem hominem esse album. E. Contingit quoddam album esse coloratum. At hoc necessarium est.* 2. In modis negantibus negans cõtingens & aff. necessaria contingentem dant Conclusionem. *Vt: Contingit nullum hominem ambulare. Necesse est omnem hominem esse corpus. E. contingit quoddam corpus non ambulare.* Contrà. *Necesse est nullum hominem esse leonem. Contingit omnem hominem esse doctum. E. contingit quoddam doctum non esse leonem. At hoc necessarium est, non contingens.* 3. Negans necessaria & affirmans contingens in modis negantibus, dant Conclusionem puram & contingentem. *Vt: necesse est nullum hominem esse leonem. Contingit omnem hominem ambulare. E. contingit quoddam ambulans non esse leonem.* Contrà: *Necesse est nullum*

lum hominem esse insensatum. Contingit omnem hominem ambulare. E. contingit quoddam ambulans non esse insensatū. At hoc necessarium est non contingens. Ita nihil certi fermè in his rebus est. Et incertitudinem adjuvat partim *ambiguitas contingentis,* partim *ambiguitas sensus in propos: modalibus, qui interdum compositus, interdum divisus esse potest.* Conf. Dn. Kesl. c. l. n. 12.

21. *VI.* Ex puris contingentibus formaliter vix aliquid sequitur. *Rationem sumunt quidam, quia sint puræ particulares.* Mendoz. d. 4. sum. §. 30. & 51. Werenb. ex. Lo. 9. th. 35. *Hoc de particularitate temporis verum ait* Dn. Kesl. c. l. n. 8. *non præcisè subjecti. Rectius sumitur à naturâ contingentis, quæ admodum vaga. Interdum possibili respondet, interdum non: interdum notat id, quod fit vel fieri potest, interdum id, quod est ita, ut possit non esse.* Conf. Dn. Kesl. c. l. c. 13. n. 11. & c. 31. n. 12. D. Co. Mar. c. l. c. 12. Dn. Flac. c. l. c. 18. *Vnde ambiguæ oriuntur propositiones, quæ consequentiā Syll. valdè morantur. Sic Contingit omne currens esse hominem. Contingit omne rationale esse currens. E. contingit omne rationale esse hominem. Quod absurdum. Aristot.* in. 1. & 3. figura ex puris *contingentibus Conclusionem sequi contingentem ait.* l. 1. prior. c. 13. & 19. *Sed* de 1. fig. *id non esse universale adductum exemplum probat. Quod resolutum divisim, habebit medium Terminum in minore modificatum, cum in majore esset absolutus, & sic 4. terminis ludet. Vt: O. currens contingenter est homo. O. rationale contingenter est currens. E.* Heymburg. c. l. §. 3. *regerit, Majorem ita fore falsam. Nam & ipsum hominem esse currentem, nec tamen contingenter hominem. At inter omne currens & hominem nexus reverâ est contingens. Et proinde verè dicitur, O. currens contingenter est homo. Vt ut sub omni currente homo ipse comprehendi possit,*

sit, confuse tamen id fit: & quamdiu nō explicatiùs termini junguntur, semper manet nexus contingens. Quia prior terminus longè est generalior posteriori: Et generalius determinari ad specialius omninò contingens est. V. t. 9. *Idem est in similibus. O. animal contingenter est leo: O. substantia contingenter est canis. Quæ vera esse nemo negabit.* In 2. figurâ *ex meris contingentibus nihil sequitur. Nequit enim contingens Universalis etiā negans simpliciter converti. Vt, Conti: nullū hominē esse Medicū. E. cont. nullū Medicū esse hominē. Vid.* Philoso. l. 1. pri. c. 16. In 3. fig. *etiā non sequitur ad Contingentē conclusionē. Vt: Cont. omne albū esse hominē. Cont. omne albū esse rationale. E. cont. quoddā rationale esse hominē. Quod falsū. Quare* ex meris contingentibus arguendo, magis ad materiam respiciatur, & habitudinē terminorum, an ea illationem patiatur nec ne, quàm formam inferendi, *ex quâ vix aliquid certi petetur. Per materiā interdū hic aliquid sequi potest. Vt, Cont. omnē equū currere. Cont. quandā substantiā esse equū. E. cont. quandā substantiā currere. Per formam res est in incerto.*

22. *VII.* Ex meris necessarijs in 1. & 2. figurâ sequitur conclusio necessaria; In 3. etiam, si legitima fiat illatio. *Vt* in 1. figura; *Quicquid necessariò est homo, necessariò est animal. Petrus necessariò est homo. E. necessariò est animal.* V. Dn. Flac. c. l. c. 19. In 2: *Omne currens necessariò movetur. Nullum stans necessariò movetur: E. nullum stans necessariò currit.* In tertia *valet etiam, modò legitimè inferas. Sic: Necesse est omnem medicū esse doctum. Necesse est omnem medicum esse hominem. E. Nec. est quendam hominem esse doctum. Hic Conclusio videtur absurda, Cum contingens sit quendam hominem esse doctum. Sed formaliter procedendo ita inferes: O Medicus necessariò est doctus. O Med. necessariò est homo. E. quoddam quod necessariò est homo, necessariò est doctum*

doctum. Conclusio verè concludit de necessitate hypotheticâ, *posito nempe, Hominem esse Medicum, necesse est eum esse doctum. Nam major hâc hypothesin involvebat: Eadem ergò & in Conclusione est subintelligenda.* V. Dn. Nihus. d. 7. Log. t. 14. *Simile est de hoc Syllogismo: Necesse est omnem incredulũ damnari. Necesse est omnem incredulũ esse hominem. E. nec. est quendam hominem damnari. Quem eodem modo resolves, & sic prodibit Conclusio. E. quoddam, quod necessariò est homo, necessariò damnatur. Quod de necessitate hypotheticâ, posito quod sit incredulus, verum est. Et sic puto doctrinam Aristotelis defendi posse. Secus ut putat* Werenb. ex. Log. 9. th. 43. *Etsi alias ex reductionis doctrinâ aliud vitium ostendi possit, ubi ex minore conversâ per accidens secundum litterã P. in Darapti, non procedet Conversio de Necesse, sed erit Minor falsa. Vt ostendit* Dn. Hornei. d. 7. Log. t. 35. Dn. Cor. Mart. l. 3. c. Ram. p. com. c. 13.

23. *VIII.* In meris modalibus cautè observetur sensus Enuntiationum, ut ille verè eruatur. *Vt: Contingit nullũ Canem latrare. Contigit omnem Canem latrare. E. cont: nullum Canem esse omnem Canem. Majorem non resolves ita: Nullus Canis contingenter est latrans: Nam hoc falsissimũ est, & à sensu prioris longè diversum, Quod verum erat: Sed competens resolutio hæc erit:* O. canis contingenter est non latrans. *Jam subsumitur: O. canis contingenter est latrans. Sequetur Conclusio: E. quoddam quod contingenter est latrans, etiam contingẽter est non latrans. Hæc Conclusio est verissima. Verum, quod ita latrat, ut contingenter latret, posse etiam contingenter non latrare. Nam modus* contingens *dicit ita esse, ut possit etiam non esse. Ita qui contingenter ridet, potest etiam non ridere, adeoq́ contingenter etiam est non ridens.* Conf. Scharf. l. 2. Log. c. 6. 3. & l. 3. c. 10. *Jam & hæc Conclusio multùm est diversa à priori Conclusione. Idem est in similibus. Vt, Possibile est nullum hominem currere. Poss. est omnem*

 homi-

hominem currere, E. poss. est nullum hominem esse omnem hominem. Resolvatur hoc modo: O. homo possibiliter est non currens. O. homo poss. est currens. E. quidam, qui possibiliter est currẽs, etiam possibiliter est non currens. Quod verũ est. Mod⁹ enim additus, possibile, potentiam subjecto concedit, & curendi & non currendi, quæ uni subjecto reverâ competit. Non dicam jam, tales Syllogismos procedere ex oppositis, *in quibus nonnulli incompossibilitatem propositionum ad simul subjungendum agnoscunt.* V. d. 11. corol. 1.

24. *Hactenus* de Syllog: modalibus meris: *Sequuntur* misti, *Vbi prop. modales & puræ commiscentur. De his teneantur sequentia. I.* Prop. mistæ Variationem 4. terminorum inducentes nullam formalem dant Consequentiam. *Sic: O. currens est animal. Tabellari⁹ contingenter est currens. E. tabell. contingenter est animal. Major est pura, Minor modalis, ut variet mediũ terminũ & 4. term. inducat. Et hic per formam non valet. Si interdum valeat, per materiam valet: Vt Om: homo est animal. Petrus necessariò est homo. E. necessariò est animal.*

25. *II.* In omnibus figuris altèra purâ, alterâ necessaria, formaliter sequitur Conclusio pura. Ita Dn. Horn. d. 7. Log. t. 43. Dn. Kesl. n. 9. c. l. Dn. Arnis. c. l. p. 401. *Hoc tutissimũ in hac materiâ. Secus forma non firmè procedet ad Cõclusionem aut necessariam, aut cõtingentem. Ita: O. currens necessariò est animal: Petrus est currẽs. E. est animal. Si ad modales Conclusiones deflectas, non semper sequetur Conclusio. Etsi enim major terminus necessario dicatur de medio, Minor tamen de eo cõtingenter dici potest, & sic non potest minor majori inferri necessariò. Et consequenter Logicus dimisso modo, qui ex materiâ est eliciendus, accipit id quod per formam certò consequitur, quod est Conclusio pura. Vt sunt verba* Dn. Arnis: c. l. *Quibus consentit* Cl: Cor: Mart: c. l. c. 13. *Docuit* Arist; 1. prior; c. 9. *& ex eo* Dn. Flac: c. l. c. 18. Dn. Schei-

Schei: c.l.n. 100. Heymb: d.mod: f.3.§.6. *In* 1. fig: Ex majore necessariâ, minore purâ, sequi Conclusionem necessariam. *Nam Cõclusio hic assimilatur majori.* V. t. 18. *Vt: O. animal necessariò sentit. O. homo est animal. E. O. homo necessariò sentit. Per formam hoc non semper consequitur. Nam* Contrà: *O. ambulans necessario movetur. O. homo ambulat. E. O. homo necessariò movetur. Quod falsum.* Pacius *absolutè & simpliciter minorem esse veram debere vult:* Monlorius apud Dn. Kesl. c. l. & Heymb: c. l. *Conclusionem veram ajũt de necessitate hypotheticâ, posito, quod ambulet, non absolutâ. Sed hæc docent, hanc rem ex respectibus materiæ esse dijudicandam, ex quibus tutissimè judicium horum sumitur, ut dictũ: Per formam nil plus, quam purum colligitur. Et si Conclusio imitaretur modum majoris, ergò hîc absolutè necessaria esset, non hypotheticè saltem: Nam major talis. Prædicat enim genus de specie, quod simpliciter necessarium, non hypotheticè tantum. Ergo tamen Monlorÿ excusatio non satisfaceret.*

26. In 2. fig: tribus modis prioribus prop: negans necessaria, & affirmans pura dant Conclusionem necessariam, Arist: c. l. c. 10. *Vt: Nullus lapis necessariò est animal. O. homo est animal. E. nullus homo necessariò est lapis.* Contrà: *Nullum animal necessariò est currens. O. homo est currens. E. nullus homo necessariò est animal, Quod absurdum.* In 3. fig: prop: negans necessaria, altera pura, dant Conclusionem necessariam. *Vt: O. homo necessariò non est brutum. O. homo est animal. E. quoddam animal necessariò non est brutum.* Contrà: *O. leo necessariò non est equus. O. leo est brutum. E. quoddam brutum necessariò non est equus. At hoc contingens est, non necessarium. Potius vi formæ hic infertur Conclusio pura.*

27. *III.* In omnibus figuris altera præmissa purâ, alterâ Contingente, Conclusio formaliter est pura. *Aristot. vicissim quasdam regulas hic habet, ut educatur interdum*

dum Conclusio contingens. Vt: In 1. fig: ex Majore Contingenti, minore pura sequitur Conclusio contingens. l. 1. prior. c. 14. *Vt: Conting. omnem doctum fulgere instar stellæ. Quidam homo est doctus. E. contingit quendam hominem fulgere instar stellæ.* Contrà: *Contingit omne bipes esse hominem. O. rationale est bipes. E. contingit quoddam rationale esse hominem. Quod falsum. Nam hoc necessarium est.* In 2. fig. Vniversalis *negans pura, affirmans contingens, Conclusionem dant contingentem.* c. l. c. 17. *Vt: Nullus canis est leo. Quoddam currens contingenter est leo. E. quoddam currens contingenter non est canis.* Contrà: *Nullus homo est leo. Quoddam brutum contingenter est leo. E. quoddam brutum contingenter non est homo. Quod falsum. Nam omne brutum necessariò non est homo.* In 3. figurâ, præmissa, *quæ reductivè major esset, contingens, altera pura, dant Conclusionem contingentem.* c. l. c. 20. *Vt: Contingit omnem hominem esse album. O. homo est corpus. E. contingit quoddam corpus esse album.* Contrà: *Contingit omnem hominem moveri. Quidam homo est currens. E. contingit quoddam currens moveri. At hoc necessarium est, non contingit. Ex formâ istæ regulæ non procedunt, sed ex materia. Formaliter ergò potius dicendum, Ex alterâ purâ, alterâ contingente, sequi Conclusionem puram.*

28. *Hactenus de* Syll. modali primario. *Sequitur* secundarius, *qui constat prop: modalibus secundarijs; Quales sunt exponibiles.* V. d. 8. t. 19. *De ejus consequentia Vide* Dn. Kesl. c. l. c. 30. Affectiones *Syll. modalis, ut constructio, resolutio, difficultas, partim ex hac* dis. t. 1. 6. 7. *Cæteræ, ut reductio, Euporia, potestates, partim ex* d. 11. t. 25. *peti possunt.*